



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv

Marchetti, Annibale

Florentiæ, 1687

Capvt XVII. Castilionem revertitur, Patrisque animum iterum obnitentem expugnat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43962

Castilionem reuertitur, Patrisque animum iterum obnitentem expugnat.



Is animi exercitationibus instructus, relicto Mantuano secessu, Castilionem venit: ubi Patrem impetum quodammodo expectantem non statim aggreditur, felicius postea securum,

Omnium
virtutum
exempla
præbet.

atque imparatum aggressurus. Interea id unice operam dabat, ut popularibus suis eum seculo præberet, unde virtutis omnis exempla universis petere fas esset. Domo egressus oculos singulari verecundiâ humi defixos perpetuò gerebat, præterquam cum obuios salutantes haberet, quos ore sublato, benignè intuitus resalutabat: eâque in re tantâ erat comitate, ac facilitate, ut, ne quem insalutatum præteriret, nudato capite continenter incederet. Cum sacras Ædes ingrederetur, repudiato scabello holosericis tapetibus, ac puluillis instrato (quod tamen Rodolphus natu minor minimè dedignabatur) humi utroque genu demisso diutissimè orabat. Vespertinis Ecclesiæ psalmis aberrat

Salutationis
causa
nudato ca-
pite incedit.

rat ferè nunquam, semper autem genibus nixus, summâque cum animi attentione. Festis verò diebus, cum sacrâ Eucharistiâ esset refectus, tandiu gratijs Deo agendis insistebat, ut Rodolphus moræ pertæsus deambulatum exire solitus esset: mox reversus, orantemque adhuc nactus excitabat, atque unâ secum deducebat domum. Hic solitudinem ac silentium usque adeo severè custodivit, ut sæpè dies complures nullo verbo cum hominibus factò transfegerit, solâ Numinis consuetudine abundè contentus. Quod ipsemet, cum inter nostros degeret, confirmare solebat, illud adiiciens, sese plura verba unîcò die post initam Societatem loquatû, quàm plurium antea mensium interuallo protulerit: sic prorsus, ut si fortè patriam aliquândo repeteret, antiqua illi consuetudo revocanda ad tempus esset, ne cum multorum offensione severitatem in Societate nostrâ laxasse videretur. Ceterùm apud nos tantâ solertiâ silentium tuebatur, ut nisi Rectorum iussu remissionis gratiâ rumpere cogeretur, perpetuò teneret.

Ad hæc cruciatus spontè suscepti maiora in dies, quàm pro viribus, incrementa ceperant: unde spiritu defectis, eneruatisque nimîâ gracilitate artubus, stare vix poterat. Quâ in re

MO-

Sæpè dies
plures silē
tio transi-
git.

In sui ca-
stigatione
an modū
excesserit.

modum excessisse facile sibi quisque persuaserit, nisi illud diligenter animaduertat, immoderatum eiusmodi pœnarum usum eorum tantummodo esse, qui modum in ceteris omnibus accuratè adhibent, excessuri in reliquis, nisi in pœnis cohibentibus excederent. Quare immoderata sui castigatio, ea demum optima sui moderatio est. Hinc verò Martha Aloysij parens novum sibi telum paravit, quo filij partes contra Patris obfirmatam voluntatem tueretur. Coniugi enim apertè significavit, communem filium citò morte perditum iri, nisi Christi vocantis manibus custodiendus traderetur: haud enim diù vivere posse, quem tot cruciatus quotidie ad mortem impellerent: nec remedio locum videri alium, nisi Adolescens Religiosi alicuius Præsidis, Dei exhibentis vices, imperium subeat: tunc enim haud ægrè flagella e manibus dimissurum, quando unius Dei promerendi causâ suscepta, ipsi Deo minimè probari, Præside interprete, cognosceret. Consilium probavit eventus: siquidem Aloysius ipse iam factus voti compos, sibi usu compertum narrabat, Religiosam disciplinam prudenti Moderatorum arbitrio temperatam corpori iuxta, animoque salutarem esse: nam, ut animus eternâ salute cumulatè donec, illi vitam præ-

Optima
sui moderatio, immoderata
castigatio
est.

Religiosa
disciplina
corpori, animoque
salutaris.

sen-

sentem futuræ segetem quàm longissimè proferre studet .

Prætera , si quod tempus ei vacuum superesset , id totum in fratres natu minores adhuc paruulos Christianâ Cathedesi imbuendos cōferebat : utque ea, quæ auribus acceperant, animo penitus insiderent; subinde memoriter reddere iussos dulci aliquo obsonio recreabat : eo scilicet condimento ediscendi asperitatem prudenter mitigans. Franciscus inter eos præ reliquis omnibus carus Aloysio erat , ut quem ingenio facili, acrique supra ætatem iudicio esse intelligeret , quemque olim familiæ columen fore, animo iam tum præfagiret: quod & Matrî aliquando , ut ipsa testatum reliquit , disertè prænuñciavit : idque vaticinium tunc demum, fidè accepit, cū Franciscus post Rodulphi excessum rerum potitus domesticam Fortunam summis calamitatibus dudum afflictam , iacentemque mirâ ingenij dexteritate in pristinam dignitatem restituit . Alia præterea vaticinatum Aloysium nondum Societati transcriptum , inque paternâ domo adhuc hærentem author est idem ille Petrus Franciscus Turcius, quem alibi moribus eius præfectum diximus . Vnde perspicuum fit , haud vulgarem illi cum Deo amicitia coniuñctionisque necessitudinem fuisse ,
quan-

Fratres natu minores Cathedesi docet.

Alo: puer plura vaticinatus fertur.

quādo eventū futurorū arcana tibi unī cognita cum illo tam amicē cōmunicaret. Haud enim mortalium quisquam ad futura divinanda pro- vehi consuevit, quem ad summam cum Deo familiaritatem divini mores necdum provexerint: sic ut nemo antea Divinus (uti vox ipsa petit) præsagiendo audiat, quā audierit vivendo.

Inter hæc Aloysius, aliquot diebus a suo reditu in patriā elapsis, Patrem alia omnia tunc agitantem adit, monetque seriò, aduenisse iam tempus dandī veniam Societatis ineundæ, quam nuper Mediolani se daturum receperat. Quo audito Ferdinandus, contractā e vestigio fronte, respondet indignabundus, se nunquam eiusmodi veniam pollicitum, nec daturum præterea, antequam quintum & vigesimum annum attingat: quo nimirum tempore & mens ad consilium maturescat, & vires ad opus. Aloysius eo præter spem, atque opinionem responso percussus ad preces, inermium tela, confugit, iisque diu a Patre contendit, datam ut sibi fidem ne falleret, neu se suā spe frustratum abire pateretur. Preces lacrymæ subsequuntur abrupte, atque earum implere vices. Verum paternus amor eo veluti imbrē crescebat, atque ad retinendum quem tam honeste lacrymæ decorabant, roborabatur. Quare hæc su-

per

Veniā pro
missā exi-
git, sed
reijcitur.

per re multis verbis ultro citroque habitus ad extremum liberâ voce Aloysius Patri denuncia- vit, illud pro certo haberet, fore nunquam, ut animum induceret, Divinæ gratiæ, quò paternam iniret, nuntium remittere. Si tandem suæ, ac Numinis voluntati obistere animus esset; prius se ad Patres Societatis conuolaturû; deinde ijs admittere recusantibus, peregrè a patriâ, quò reliquum esset ætatis, perpetuò futurum, ne contra, ac Divinæ voluntati libitum esset, in paternâ domo resisteret. Tum, inde sese subducens, conqueri secum ipse cepit, nimis aduersam eam quoque sibi fuisse Fortunam, quæ alijs prospera diceretur: propterea quia, cum tam honesto loco, primoque inter fratres natus esset, eò ad familiæ sarcinas custodiendas, atque ad ignoti heredis procuratorem præstandum miserè se damnatum cerneret: cum tamen, quibus humilior esset origo, res nulla moram inferret, quò minùs ad meliorem sibi sortem inter religiosos cætus quærendam aditum compararent.

Igitur cum se diutius duci, ac suâ omnia studia apud Patrem frustra esse intellexit; aliâ viâ ad eius voluntatem expugnandam grassari decrevit: nimirum Divinam sibi conciliando, cui reliquæ omnes, summâ licet cum libertate,

I sem.

Liberè Patri denuncia-
ciat, se, eo
inuito, abi-
turum.

De sua se-
cum nobi-
litate con-
queritur.

4. Vel
5. horas
precibus
dat, ut ve-
niam im-
petret.

Divino spi-
ritu instin-
ctus Patre
adit, flectit
que.

Ferd. sua
orbitatem
magnis la-
mētis pro-
sequitur.

semper inseruiunt. Ergo ultra morem modū-
que Divinæ caritatis æstu feruens verbera, ieiu-
nia, vigiliis, ceterosque corporis cruciatus in-
staurat, ipsique munitus quaternas aliquando,
vel quinas horas Dei, Superumque auribus pul-
sands exigit: nec unquam Divino in Epulo ac-
cumbit, quin impensè precibus Æterni Numi-
nis clementiam sollicitet, uti durum Parentis
pectus emolliat. Cumque diutius aliquando pre-
ces traheret, arcano sermone sibi Deum lo-
quentem, urgentemque audit, ut sese Parenti,
tunc podagræ doloribus affecto, iacentique
iterum sistat, atque ab illo abundi copiam de-
nuò exposcat. Paret Aloysius, rectaque ad
Parentem profectus his verbis divino spiritu in-
stinctus alloquitur: Pater, me quidem tuæ su-
biectum esse potestati haud inficior, nec impe-
rium detrecto: de me propterea, ut animus
feret, decerne: at tamen illud sic habeto, me a
rerum omnium Domino ad eius Filij Societatem
haud dubiè vocari: si mihi obfirmatè repugnas
cum summo, ac Præpotenti Deo tibi rem fo-
re intellige. Hæc ubi dixit, responsum nullum
moratus, e vestigiò sese e conclavi auferens Pa-
rentem acri vulnere sauciatum reliquit. Pater
interea dum filij verba secum ipse mærens re-
tractat, eaque subeunt, quæ hæctenus molitus
erat,

erat, ut Natum a proposito dimoveret, ingenti Divinæ ultionis metu corripit: dumque propterea ad permittendam ei potestatem animum adijcit, tantus eum mæror inuasit, quod tam iucundâ suavissimi filij consuetudine carere in perpetuum deberet; ut ad parietem versus obortis lacrymis cæperit suâ orbitatem lamentabili gemitu, atque eiulatu conqueri: idque voce tam altâ, ut domestici omnes exciti ad eum frequentes accederent, quid novitatis eveniret, quæritantes. Compresso deinde paulisper fletu Aloysium ad se venire iustum ita dicitur alloquutus. Fili, quem pro eo ac debui, semper, ut me ipse dilexi: & in quo mea omnia studia, spesque familiæ universas dudum locaram; graviter enim verò hodie cor meum verbis illis faucisti. Quidlibet mihi dictum, quidlibet illatum malim. Lenius certè, præ te, hanc ipsam vitam perdiderim, quam tot morbis devexam sola tuæ indolis expectatio hæcenus suspenderat. Iam nihil in eâ me detinet: nullumque solatium fore video, præter unam, te abeunte, certissimam illius brevitem. At, quando a Superis, uti affirmas, aliò vocaris; ultra morari non libet. Par est nos reddere Numini, quæ ab ipso pignora accepimus. Satis diu cõtumax fui: haud equidem diffiteor. Prior re-

ferre debui gratus pro usu, non indignari repositentem. Verùm contumaciæ ex immodicâ tui benevolentiam profectæ spero gratiam ab eo nõ defuturam, qui, te tot beneficijs exornando suum in te amorem, eoque amore te nobis plurimum commendavit. Vade Nate, & festare Deum potiorem Patrem ad potiora vocantem, Tantum ut ea res tibi fauste, feliciterque eveniat, ac me etiam (si quid precibus apud superiores vales) ut in consortium felicitatis aliquando assumas, oro, obtestorque. Quæ verba tanto cum animi dolore edidit, ut protinus suspensæ, cohibitæque lacrymæ magno cum impetu profluerent, nec ulli deinde ab amicis, seu domesticis solatio locum facerent. Aloysius, ne doloris sensum suâ præsentiam cumularet, paucis gratias agens se in proprium conclave retulit: ubi statim sese in genua recipiens, sublatis in Cælum oculis, passisque manibus mirificas Deo O. M. gratias egit, quòd singulari erga se benevolentiam id egerit, ut suam cum Patre controversiam, cum maximè desperatam crederet, transactam intueretur. Exinde verò tantâ temporis momento lætitiâ exilire cepit, quanto, plurium annorum interuallo, mærore antea, luctuque contabuerat.